



# The Holy See

---

IOANNES PP. XXIII

LITTERAE APOSTOLICAE

*EO INTENDENTES*

NOMEN DELEGATIONIS APOSTOLICAE AFRICAE ORIENTALIS  
ET OCCIDENTALIS BRITANNICAE MUTATUR  
EAQUE APPELLABITUR « DELEGATIO APOSTOLICA  
AFRICAE ORIENTALIS »: EIUS INSUPER FINES  
NOVO ORDINE STATUUNTUR.

Ad futuram rei memoriam. — Eo intendentibus, ut populi, reiectis superstitionis ethnicae tenebris, ad unius veri Dei notitiam eultumque traducantur et Ecclesiae, Fidei eustodi ac salutiferae Matri, aggregentur, sollicito studio ea praestamus, quae missionali operi provehendo moderandoque aptins conducere videantur. Quod ut in Africa propter mutatas rerum condiciones efficaretur, in animum induximus Delegacioni Apostolicae, quae ab Africa Orientali et Occidentali Britannica appellabatur, novum nomen imponere eiusque fines accommodatiore constituere modo. Itaque, auditio Dilecto Filio Nostro Gregorio Petro Sanetne Romanae Ecclesiae Presbytero Cardinali Agagianian, Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Pro-Praefecto, motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine, hanc Litterarum vi decernimus ac definimus, ut Apostolica Delegatio Africæ Orientalis et Occidentalis Britannicae in posterum appelletur *Delegatio Apostolica Africæ Orientalis*, eidemque, Sacro Consilio nomini christiano propagando obnoxiae, has regiones subicimus, quae vulgo vocantur Sudan, Kenya et Zanzibar, Uganda, Tanganika, North-Rhodesia, Nyassaland, Somalie Française et Seychelles ». Haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sieque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, Scienter sive ignoranter attentari eontigerit.

Datum Romae, apud Sanetum Petrum, sub anulo Piscatoris, die III mensis Maii, anno MCMLX,  
Pontificatus Nostri secundo.

D. Card. TARDINI  
*a publicis Ecclesiae negotiis*

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana